

## † Fr. l. prof. Iacobus (Gabriel) Delahunty (1868–1939)

*(Prov. Austral.)*

Carinus Fr. Iacobus (Gabriel) Delahunty, honestis parentibus natus prope Singleton, N. S. W., ubi primam in Australia Patres nostri sedem collocaverunt, fortis in fide et viribus corporis pollens adolevit. Priusquam Congregationem ingrederetur, presbytero cuidam sancto et prudenti servivit (R. P. Thomae Rodgers), a quo rudimenta vitae religiosae prompte didicit. Mirum igitur non est si sub tali moderatore bonitate et beneficentia et pietate plene erudiebatur. Intra annos istius servitii multum eum parvuli amabant; nam, ut eos delecta-

ret, multa iuvenis fecit, quae senex facere non potuit. Ita diebus festivitatis publicae parvulos in curru saepenumero collocabat et tanquam equus subiugius ad locum longe distantem vehebat: neque hi « nebulones » felices et ridentes ei parcebant!

Die 21 Ian. 1890 Iacobus venit ad domum S. Alfonsi, Waratah, qui locus nunc Mayfield appellatur, et Magistro Novitiorum, R. P. Ioanni Christostomo Cleary, suo tempore praebuit materiam optimam ex qua Fratrem laicum iuxta mentem S. P. N. Alfonsi formaret. Quo die habitu Congregationis vestitus est C. F. Gabriel, eodem spiritum quoque Alfonsianum induit, quem nunquam in posterum seposuit. Initio Novitiatus exemplar et patronum sibi elegit S. Gerardum, quem labore arduo et assiduis precibus, ab adolescentia usque ad senectutem, fervido animo secutus est. Demum die 2 Augusti 1896 in manus Pl. R. P. Gulielmi Plunkett, Visitoris, vota obtulit; nec unquam ab eis defecit. Semper et ubique C. Frater exemplum erat regularis observantiae eiusque ratio vitae tota virtutum religiosorum enodatio, atque usque ad ultimum momentum conspicuo fervore vitam egit. Ideo, sicut R. P. Gulielmus King, primus indigena et signifer inter confratres Australienses, in se veteres traditiones Patrum primorum inseruerat, eodem modo C. F. Gabriel admirabilem spiritum Alfonsianum, quo venerabiles Fratres nostri maiores imbuti erant, imbibit, eundemque exemplis vitae suae vicissim minoribus natu tradidit.

Res humanas respicere atque eas graviter ponderare C. Fratris proprium erat: attamen multo diligentius vitam suam spiritualem et interiorum curabat; quod egregie patet e quibusdam ab eo scriptis et in commentario parvo conservatis. In istum libellum retulit per singulos XLIX annos summarium factorum memorabilium, patronum, virtutem, intentionem anni

sorte ducta; praeterea synopsis secessus annui per quinos vel ternos dies peracti. Simili modo cum industria stabili enumerantur res multae, quae Fratri nostro in officiis fungendis auxilio forent. Mirandum ergo non est quod opera huius Fratris periti et parati undique expetebatur, praesertim in novis domibus instituendis.

Licet dicere nolimus eum emississe votum ne minimam quidem temporis particulam perdere, indicia tamen abundant carissimum Fratrem assiduum fuisse discipulum S. Patris Nostri in studio negotia bene tractandi et tempus bene impendendi. Ita se habebat, donec mortis manu via vitae obumbrari coepit. Tum sola vox obedientiae eum, ne communitati serviret, impedire potuit. Morbo cardiaco correptus, ter in tot annis sacro oleo infirmorum unctus est, postremum die 18 Martii 1939, assistentibus confratribus qui ad nosocomium S. Ioannis de Deo, ad moribundo succurrendum, festinaverant. Dies discessus autem prorogatus est, ut memorant versus Horatii:

*Prudens futuri temporis exitum  
Caliginosa nocte premit Deus:  
Ridetque, si mortalis ultra  
Fas trepidet...*

Verbum vero Veritatis Aeternae meliore modo monet: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate.* In tali conditione, amissis viribus pedum et manuum, usque ad diem 29 Martii moribundus patiens, spiritu fervens, voluntati divinae submissus versabatur. Proximo die autem, summo mane, sub custodia Patronorum suorum caelestium leniter animam efflavit. Tempore pomeridiano eiusdem diei corpus defuncti ad ecclesiam nostram Perthensem reductum est; ibique crastino die Missa sollemni litata coram magna frequentia sacerdotum et fidelium, in coemeterio Karakattiensi sepultum est.

Pie precamur ut exemplum C. F. Gabrielis ferax sit ad observantiam regularem, orationem continuam, laborem assiduum inter Fratres nostros laicos promovendum. Etenim a die quo professionem religiosam emisit devotus noster confrater, haud immemor verbi Domini: *Ego Dominus diligens iudicium et odio habens rapinam in holocausto* (Is. 61, 8), in omni re erat totus consecratus Iesu Christo et Congregationi. Dormiat in pace.